QUARE COLLAPSA EST TURRIS TERTIA?



In Undecimae Septembris
diem anniversarium vicesimum quintum
scripsit
Praeco Incredulus
Haec symbola edita est in

BIBLIOTHECA LEONIS LATINI
https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php
A.2026

Iste impetus fuitne LIHOP an MIHOP?

In diem anniversarium vicesimum quintum:

QUAESTIONES QUOAD

DIEM SEPTEMBRIS UNDECIMAM

INSOLUTAE

Etiam 25 annis post diem Septembris undecimam anni 2001 multae restant quaestiones insolutae[1]. Dies anniversaria vicesima quinta nobis praebet bonam occasionem istius sceleris infamissimi atque obscurissimi in memoriam revocandi.

Scripsit **PRAECO INCREDULUS**
Latinê reddidit **LEO LATINUS**
d.11. m.Sept. a.2026

1 cfr AUGUSTINUS, De civitate Dei 5,23,1 quaestionem reliquisse insolutam

Cum dies septembris anni 2001 undecima, praesertim eiusdem effectûs, valeant ad rem politicam usque tempus hodiernum, die anniversariâ vicesimâ quintâ denuo tractabo quaestiones istius eventûs insolutas, quamquam „media bonitatis"[2] omnem hominem appellant theoreticum conspirationis, qui audeat tales quaestiones proponere.

Dies septembris undecima causae fuit officialiter allatae „Belli contra tromocratiam gerendi", quod factum est per viginti annos et quo multae terrae sunt destructae. Post istum diem atrum Civitates Unitae et Natoniani annuntiaverunt occupandam esse Afghanistaniam, ut devincerentur Al-Quaida et Talibani. Effectûs sunt bene nôti: Natoniani ab Americanis ducti denique sine condicione armis depositis Talibanos Afghanistaniam relinquentes fugâ salutem petiverunt.

Etiam impugnatio Al-Qaidae non iam magni fit – e contrario: In Syriâ caterva quaedam Al-Quaidae affiliata ab occidentalibus officialiter comprobata est tamquam gubernatio democratica.

Cum dies ille ater undecimus mensis septembris anni 2001 usque tempus hodiernum multum valeat ad rem politicam, nunc velim denuo comprehendere praecipuas quaestiones istius eventûs calamitosi insolutas. Scio lectores periodici mei inveteratos vix aliquid novi accepturos esse ex verbis sequentibus, sed fortasse haec symbola auxilio esse poterit lectoribus, qui collocuturi sunt cum hominibus officialium tantum nuntiorum peritis.

Relatio rerum officialiter enuntiata

Relatio rerum illo die factarum officialis bene nôta est: *Osama Bin Laden* refertur misisse 19 tromocratas in Americam, qui quattuor aeroplana praedati iisdemque committerent attemptationem[3] tromocraticam turpissimam omnium quae umquam essent factae. Sic referuntur adhuc officialiter – res horrenda, quae videatur simplex et perspicua.

At – eheu – huic fabellae insunt quaedam res dubiosae, quas ut accipiant adhuc imperiti, breviter tractabo.

---

2 **media bonitātis** theod. *„Qualitätsmedien"*

3 **attemptātiō**, -ōnis f. cfr Thll s.v. **attemptātiō**, -ōnis vel **attentātiō**, -ōnis f. et s.v. **attemptō** vel **attentō**, -āvi, -ātum, -āre ...codd. *boni saepius exhibent* attemptare *quam* attentare (NOT.Tir. 89,21 adtemptat). lin.30: *aliquid, aliquem, saepius sensu hostili i.q. aggredi (addi solent abl. insidiis, bello, manu, vi, lingua al., rarius adv. velut nefarie, petulanter, violenter).* i.q. theod. *Anschlag, Attentat;* angl. *attack, attempt.* **attemptātiō *tromocratica** *Terroranschlag; terror attack.*

Turris tertia

Primum simpliciter ex vobis quaeram: Quot turres illâ die Novi Eboraci sunt collapsae? Si responderitis „duae" - non potero, quin spem vestram decipiam. Nam tres turres illâ die collapsae sunt, quarum tertia, id est *Centrum Commerciale Mundanum 7* sive *Aedificium Salomonianum,* nullo aeroplano erat afflicta: ibi enim nonnulli tantum ignes arserunt minores – sed iisdem haec turris secundum nuntium officialem collapsa esse dicitur.

Haec res est maximê aenigmatica atque latebrosissima: Quamquam in orbe terrarum multae iam turres fuerunt, in quibus ignes et maiores et fervidiores arserunt per spatia temporis multo longiora, tamen non sunt collapsae. Hoc ironicê, sed verê demonstratur imagine quae sequitur.

Praeterea mirum est, quod statio radiophonica BBC iam viginti minutis ante collapsionem huius turris tertiae ex urbe Novo Eboraco rettulit eandem esse collapsam. Relatrix hunc nuntium acceperat ab *agenturâ nuntiorum Reutersianâ* et directê reddidit in televisorio, quamquam in recessu a telespectatoribus videri potuit turrim nondum esse afflictam. Huius nuntii evidenter falsi causâ statio BBC se a.2009 demum se excusavit.

Ceterum in relationibus televisificis hoc phaenomenon iterum iterumque animadverto: Quandocumque media diurnaria provocant ad „correspondentes" suos locales, volunt hôc modo efficere, ut spectatores quam firmissimê confidant nuntii veritate. Tamen tales relationes saepe sunt miserabiliter malae. Illi mulierculae stationis BBC correspondenti satis fuit capite converso ex fenestrâ prospicere – ut videret turrim illam fatalem adhuc stare integram. At pro eo, ut ex fenestrâ prospiceret, maluit nuntium Reutersianum recitare ex folio – sed ad talem recitationem diurnaria correspondens non fuit necessaria.

Usque ad diem hodiernum non est patefactum, unde Reutersiani hunc nuntium acceperint iam 20 minutis ante turris collapsum.

Si vos de hac re accipere cupitis plura et accuratiora, vobis commendo hanc relationem *Danielis Anserarii* hôc loco interretiali: https://www.youtube.com/watch?v=PGfYvrZWD0I Ceterum ea quae usque nunc dixi de turri tertiâ nequaquam sunt theoriae conspirationis, sed res certae et confirmatae, quae non iam possint addubitari.

Sed illâ die aterrimâ septembris undecimâ aliae quoque res factae sunt mirae et latebrosae et usque nunc nullo modo explicabiles.

Quare tota custodia aëria prorsus defecerit?

In re aeronauticâ usitatum est, quandocumque aëroplanum volat sine contactu radiotelephonico aut a cursu praedisposito avertitur, officialia aëroplana interceptoria idem persequi. In omni terrâ paratae sunt

cohortes aëroplanorum huiusmodi interceptoriae, quae solent per pauca iam minuta assequi tale aëroplanum alienum. Talis est consuetudo aëronautica ubique terrarum usu probata.

Tantummodo die illâ fatali Neo-Eboracensi haec methodus inveterata evasit infeliciter, idque simul quater: H.8.14 primum aëroplanum refertur captum esse a tromocratis, h. 8.46 Uhr primum aëroplanum illisum est in turrim Neo-Eboracensem et h.10.03 demum ultimum aëroplanum e caelo humum irruit. Ergo etiam post primum illisum Neo-Eboracensem aëroplana per unam horam integram et 17 minutas pervolare potuerunt per spatium aërium Americanum nullo modo inhibita, nullo aëroplano interceptorio emisso. Etiam talis defectus calamitosus et incredibilis numquam antea umquam factus est.

Nec illisus in pentagonum factus ab hominibus rei aëronauticae peritis potest explicari. Nam aëroplanigae vel peritissimi nullo modo sciunt aëroplanum *Boeing 757* velocitate 800 chiliometrorum horalium altitudine 10 metrorum volans ita gubernare, ut secundum explicationem officialem tromocratae volandi parum periti scivisse officialiter dicuntur.

Aliae res mirabiles atque vix credibiles

Officiales nuntiaverunt etiam alias res die undecimâ septembris factae mirae neque credibiles neque explicabiles. Recordaminine adhuc brevi post attemptationes tromocraticas factas in turrium parietinis inventos esse tromocratarum syngraphos[4]? Aëroplana et epibatae eorumque sarcinae – omnia haec in igneis nubibus giganteis ad vaporem redacta – tamen ab investigatoribus ipsius FBI statim et integros inventos esse syngraphos illorum tromocratarum putativorum! Praeterea inventum est testamentum, quod factum esse refertur ab uno ex tromocratis, sed causis mysterialibus non est ab eodem viro relictum, sed in aëroplanum allatum.

Generaliter patet tromocratas islamistas in occidentalibus terris impetûs facientes libenter relinquere syngraphos suos, ut quam maturrimê patefiat, qui sint tromocratae putativi. Credas islamistas in occidente attemptationem commissuros specialiter discere in loco facinoris semper relinquendos esse syngraphos, ut statim possint identificari. E contrario in oriente propinquo tromocratas numquam hoc faciunt, semper

4 **syngraphus**, -ī m. theod. *Pass, Ausweis;* angl. *passport*

tantummodo in occidente. Accedit quod in occidente tromocratae in loco facinoris quandocumque syngraphos reliquerunt, postea a biocolytis sclopetando interficiuntur, ne postea possint interrogari.

Sic etiam factum est illâ die fatali undecimâ mensis septembris, nam propter syngraphos in parietinis inventos explicatio officialis visa est firma et clara et indubia et delictores visi sunt esse identificati.

At multae res illâ die factae mirae et speciales usque hodie secretae abduntur; e.g. gubernatio Civitatum Unitarum usque nunc nihil patefacit de istius attemptationis tromocraticae participatione saudi-arabicâ.

Longum est omnes res miras et inexplicabiles enumerare, quae aliquatenus cohaereant cum scelere isto mysteriali. At a diurnariis „mediorum bonitatis" haec omnia non quaeruntur; qui omnem talia quaerentem dicunt esse *theoreticum conspirationis.*

Quale facinus commissum est die undecimâ septembris?
Fuitne „Surprise2 an „LIHOP" an „MIHOP"?

„Theoretici conspirationis", quia talia quaerunt, disputant de tribus explicationibus facinoris quas appellant *„Surprise"* et *„LIHOP"* et *„MIHOP"*.

„Surprise" (i.e. res necopinata) est explicatio officialis: *Bin Laden* contenditur impetum fecisse in Civitates Unitas necopinatum.

„LIHOP" acronymum praecepti anglici: *„Let It Happen On Purpose"* (i.e. *Consulto patĕre rem fieri!*) et significat *Osamam bin Laden* reverâ impetum fecisse, sed Civitates Unitas hoc praescivisse et passas esse impetum fieri. Quacumque de causâ. „MIHOP" autem acronymum anglicum (*„Make It Happen On Purpose"*, i.e. *Consulto fac ut res fiat!*) et significat Civitates Unitas ipsas commisisse impetum diei undecimae mensis septembris anni 2001 sceleratissimum.

Nunc quaerat aliquis, quanam de causâ ullus Americanus istam rem commiserit an passus sit istam fieri – ne dicam de gubernatione ipsâ. Sunt etiam theoriae, quibus hoc explicetur – nam isto facinore quidam homines multum pecuniae lucrati sunt.

Quis facinore diei undecimae mensis septembris lucratus sit pecuniam. In bursis argentariis paucis diebus ante factae sunt magnae sponsiones de cursibus monetariis cadentibus earum aërilinearum eorumque fabricatorum aëronauticorum, qui postea participes fuerunt istius infortunii; de aliis nullae factae sunt sponsiones. Scilicet illarum aërilinearum fabricatorumque cursûs monetarios post infortunium vehementer decidisse. Istae transactiones pecuniariae numquam disquisitae sunt ideoque usque hodie non est nôtum, quis ingenti scelere isto acceperit ingens lucrum.

Praeterea *Centrum Commercii Mundani* mense Iulio a.2001, id est duobus mensibus ante scelus diei undecimae septembris, a quodam homine est emptum; îdem possessor novus contractûs assecurationum ita fecerat, ut infortunio facto acciperet lucra maxima. Qui accepit 4,5 miliardas dolariorum ab assecuratoribus, multo plus pecuniae, quam aedificia reverâ valuerunt, nam quia argumentatus est se cepisse duo damna, non unum, summam assecurationis accepit duplicem.

At hanc summam si comparas cum lucro, quod bello infortunium diei undecimae septembris secuto contra tromocratiam gesso acceperunt negotiatores us-americanae industriae armorum quaestuosae. Nam iidem lucrati sunt mille ferê miliardas. Etiam industria Civitatum Unitarum petrolearia, quae post bellum iraciense iura sibi comparavit olei iraciani hauriendi, effectu calamitatis bellique lucrata est miliardas innumeratas. Nec prorsus forte fortunâ factum est, ut membra gubernationis Civitatum Unitarum, quibus interfuit ipse vicepraeses, artissimê coniungerentur cum industriâ olei quaestuosâ necnon cum iisdem negotiationibus ipsis, quae plurimum lucratae sunt, et ab iisdem salaria acciperent milionaria, antequam participes fierent gubernationis Bushianae.

Novum saeculum americanum

Necnon alia res est memoratu digna. Annis nonagenariis fuit quidam grex politicorum us-americanorum, qui vellent stratagema excogitare, quo Civitates Unitae saeculo vicesimo primo hegemoniam suam confirmare possint. Scilicet cogitaverunt Civitates Unitas egere quam plurimis militibus armisque. At cum illo tempore bellum frigidum esset transactum

ideoque erogationes arma emendi et fabricandi deminuerentur tum praecipuê homines tandem vellent frui pacis fructibus, quales essent eruditio melior meliorque infrastructura, cogitatores neoconservativi intellexerunt difficile esse homines excitare, ut comprobarent erogationes rerum militarium exaugendas.

Iidem cogitatores anno bismillesimo ediderunt relationem iam diutius antea exaratam, in quâ explicatum est, quomodo Americani excitari possent, ut comprobarent erogationes militares maiores:

„Insuper verisimile est processum transformationis, etiamsi eodem efficientur rerum mutationes revolutioni similes, factum iri per tempus longius vixque effici posse nisi eventu calamitoso atque catalytico – illi calamitati Portûs Margaritarum[5] *simili."*

Nescio an forte fortuna factum sit, ut commissionis neoconservativae participes essent *Dick Cheney, Donald Rumsfeld, Paul Wolfowitz, John Bolton et alii,* qui omnes sub praeside *Georgio Bush Iuniore* obtinuerunt munera novae gubernationis americanae praestantiora. Et octo tantum mensibus postquam potestatem assecuti sunt, altera calamitas Portus Margaritarum ab iisdem desideratissima facta est Novi Eboraci.

Fortasse alius ista omnia putet esse fortuito facta, alter putet esse suspiciosa. Equidem hic nihil rettuli nisi res vere factas, sed quomodo respondeat quaestionibus, quae ex rebus relatis consequantur, videat quicumque suo Marte.

Universitas Americana dicit turrim tertiam esse dilapsam materiâ displosivâ

Brevi ante diem calamitatis undecimae septembris anniversarium duodevicesimum nonnulla memoratu digna nuntiata sunt, sed non *mediis fluenti praecipui*[6]. E.g. *Universitas Alascae Fairbanksiana* investigationibus quattuor annorum factis conclusit collapsionem turris tertiae non posse effectam esse ignibus. Ergo relatio gubernationis officialis ab his Alascanis rei peritis vera esse negatur.

Hoc aedificium 81 columnis chalybeis sustentatum erat. Ut eadem turris casu libero collaberetur usque ad fundamenta sua – quod reverâ factum est – necessarium fuit, ut omnes columnae simul supprimerentur. At in

5 **Portus Margaritarum** angl. *Pearl Harbour*
6 **media fluentī praecipuī** *mainstream media.*

relatione officiali gubernationis Bushianae dictum est ignibus supellectilium grapheorum ardentium unicam tantum columnam, numeri undeoctogesimi, infirmatam esse, quo effectum esse, ut totum aedificium collaberetur.



Praeterea praepositi siphonariorum Neo-Eboracensium postulaverunt, ut fiat nova disquisitio calamitatis undecimae septembris, quia disquisitione suâ propriâ aedificium esset displosum materiâ displosivâ. Qui dixerunt esse „indicia evidentissima", quibus concludendum esset tria aedificia Centri Commercii Mundani *„destructa esse materiis displosivis, quae antea iam in aedificiis impositae essent"*.

Scilicet disquisitionem postulatam numquam esse factam.

Scripsit
PRAECO INCREDULUS

Latinê reddidit
LEO LATINUS